

EPISTULA LEONINA

LX

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

Index of leonina <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM
 SEXAGESIMAM (60) !**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS

SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam sexagesimam.

*Hac Epistulâ Leoninâ agitur de duobus praemiis Nobelianis nuper attributis: Praemio physices honestati sunt Petrus **Higgs** Britannus et Franciscus **Englert** Francogallus, praemio medicinae Iacobus **Rothman** Randulfusque **Schekman** Americani necnon Thomas **Südhof** Germanus.*

*Lege et mirare hi investigatores ingeniosissimi quam feliciter meriti sint de scientiarum progressu et recordare verba Vergilii: "**FELIX QUI POTUIT RERUM COGNOSCERE CAUSAS!**"» (Georg.II 490).*

Utinam quam plurimê placeat tibi lectio huius Epistulae Leoninae sexagesimae.

Pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat


**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Lunae, d.14. m.Oct. a.2013



**A ΜΗ ΟΙΔΑ ΟΥΔΕ ΟΙΟΜΑΙ ΕΙΔΕΝΑΙ
QUAE NESICIO NON PUTO ME SCIRE.**

SOCRATES
469-399 a.Chr.n.

PETRUS HIGGS ET FRANCISCUS ENGLERT PRAEMIO PHYSICES NOBELIANO HONESTATI



Ecce *Englert* et *Higgs* m. Iulio a. 2012 in CERN, i.e. in Centro investigationis nuclearis Genavensi sedentes: Ibidem a. 2012 contigerat, ut demonstraretur exstare *bosonium Higgsianum.

Dimidium ferè saeculum interpositum est ideae physicorum summoque honori iisdemque attributo: Petrus (Peter) Higgs Britannus atque Franciscus (François) Englert propter bosonium Higgsianum, quod dicitur etiam „particula Dei“, praedictum accipiunt praemium Nobelianum.


Holmiâ ex urbe - Petrus Higgs et Franciscus Englert pro laboribus in provinciâ physices particularis exanclatis accipiunt praemium physices Nobelianum. Hoc die Martis enuntiatum est ab Instituto Suetico Carolino. Petrus, vir 84 (octoginta quattuor) annos natus, sexagenariis iam annis praedixerat exstare particulam, quâ ceteris particulis omnibus massa

daretur. Franciscus hodie octogenarius suâ methodo propriâ investigans postulaverat rationem, quae huic particulae subesset. Anno proximo praeterito *CERN*, i.e. *Europaeum Centrum Investigationis Nuclearis*, primum omnium demonstraverat exstare bosonium Higgsianum, quod dicitur etiam „particula Dei“, ideoque admirationem moverat physicis totius orbis terrarum.

Plerumque putatur praedici non posse, ad quas res laudandas attribuantur praemia Nobeliana. Hôc autem anno generaliter expectatum erat aliquos physicos honestatum iri quoad bosonium Higgsianum: eius demonstratio habetur pro unâ ex horum decenniorum physicis investigationibus prosperrimis. Incertum autem restiterat, quisnam honestaretur: *Petrus Higgs*, qui a.1964 hanc particulam praedixerat? An investigatores CERNiani, qui hanc particulam exstare acceleratro particularum LHC demonstraverant, quorum sunt aliquot centum? Commissio Nobeliana eo quod praemium Petro Franciscoque attribuit, huic quaestioni nunc respondit.

"Praemio accepto stupefactus sum"

Petrus Higgs declaratione ab Universitate Edinburghensi publicatâ: "*Praemio accepto*" inquit „*stupefactus sum et gratias ago Regiae Academiae Sueticae*". Investigator verbis extulit: "*Omnibus quoque gratias agere velim, qui participes fuerunt huius particulae novae inveniendae*". Necnon familiae suae amicisque gratias egit, quod se adiuvissent. "*Spero*" inquit „*eo quod investigatio fundamentalis hôc modo laudata est, melius intellectum iri, quantum valeat problemata scientifica temere investigare.*"




Ecce particulas in Centro investigationis nuclearis (CERN) inter se collidentes (delineatio computatralis): Physici autem, quibus in hōc centro Europaeo id contigerat, ut demonstrarent exstare bosonium Higgsianum, nullum acceperunt praemium Nobelianum.

CERNiani autem nullum acceperunt praemium Nobelianum. Tamen iidem visi sunt animis laetissimis. *Kerstin(a) Borras* physica particularis praemii attributione die Martis enuntiata: "Hōc loco vehementissimē iubilatum est". Plus centum investigatores in magno atrio aedificio grapheorum CERNiano congregatos spectavisse praemii enuntiationem per televisionem directē transmissam.

Kerstina: "Nos omnes" inquit „per horam hic expectavimus. Animorum nostrorum ingens suspensio soluta est applausū vehementissimo. Scilicet rem non fuisse omnino certam, sed speraveramus hos investigatores propter rem historicam inventam honestatum iri.“ Quod

nemo CERNianus nomine appellatus erat, Kerstina physica CERNiana accepit animo tranquillo. Eadem mulier CERNiana: "Perdifficile est" inquit „verbis efferre unum CERNianum physicum certum. Nam nos sumus communitas investigantium ubicitaria."

De nomine „particulae Dei“ physici alii aliter sentiunt. Idem nomen dicitur exortum esse, cum *Leon Lederman* physicus praemio Nobeliano honestatus librum scripturus titulum fingeret: „*Particula exsecratissima – (angl. "Goddamn Particle") Si universum est responsum, quid est quaestio?*".



CMS-detectrum CERNianum: Bosonium Higgsianum exstare demonstratum est acceleratro particularum adhibito, cui nomen est LHC (angl. *Large Hadron Collider* = *Collistrum hadroniorum magnorum).

Ledermann contendit editori suo displicuisse verbum „*goddamn*“ titulo impositum. Itaque nomen, q.e. „*goddamn particle*“ („*particula exsecratissima*“) a.1993 mutatum esse in „*God Particle*“ („*particula Dei*“).

Num membra commissionis Nobelianae inter se dissenserint?

Virorum praemiorum annuntiatio antea solito longius retardata erat. Primum constitutum erat, ut res annuntiaretur h.11.45, deinde annuntiatio compluries dilata denique facta est unâ horâ post. Quidam homines periti diurnariis ipsius SPIEGEL ONLINE dixerunt rem serius annuntiatam esse, quia membra commissionis Nobelianae dissentirent. Praemiandos brevi demum definitivê eligi antequam annuntiarentur. Eo modo impediri, ne nomina praemiorum furtim ac praematurê patefierent – ut factum est a.2012, quo praematurê patefactum est Unionem Europaeam accepisse praemium pacis Nobelianum.

E contrario non est verisimile die Martis eo rem retardatam esse, quod unus ex honestandis non potuit accedi. Nam e.g. die Lunae commissio Nobeliana primo publicaverat nomina eorum, qui acceperant praemium medicinae et deinde demum frigguttiverant (frigguttire i.q. anglice *to twitter*) *Thomam Südhof* nondum esse accessum.

Praemium Nobelianum est honestamentum scientiarum naturalium omnium maximum. Qui id praemium accepit, si tardissime, ex eo tempore habetur pro uno ex disciplinae suae scientistis excellentissimis, eius verba in communitate scientiarum etiam magis valent quam plerumque antea iam valuerunt. Praeterea praemiati quodammodo laetari possunt de pluviâ pecuniae tepidâ: Praemium Nobelianum complectitur octo miliones coronarum Sueticarum (i.e. nongenta viginti milia euronum).

Die Lunae iam annuntiati sunt ii, qui acceperunt praemium medicinae Nobelianum. Inter honestatos fuit etiam *Thomas Südhof* Germanus: qui praemium communicat cum investigatoribus US-Americanis *Iacobo (James) Rothman* et *Randulfo (Randy) Schekman*.

Anni 2012 praemium physices Nobelianum acceperant *David Wineland* US-Americanus et *Sergius Haroche* Francogallus, quia perquisiverant, quomodo lux et materia inter se agerent. Iisdem physicis enim contigerat, ut quanta energetica mensurarent atque custodirent eademque non destruentes; quibus rebus fortasse aliquando fieri poterit ut construantur computatra quantica, quae multo celerius operentur quam hodierna.

Hanc relationem d.08.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Forscher-Ehrung: Physik-Nobelpreis geht an Peter Higgs und François Englert*».

**ECCE TRES INVESTIGATORES INGENIOSI
SÜDHOF ROTHMAN SCHEKMAN
PRAEMIO MEDICINAE NOBELIANO
HONESTATI**



Tres biochemistae inter se communicant praemium medicinae physiologiaeque Nobelianum anni 2013: *Thomas Südhof, Iacobus (James) Rothman, Randulfus (Randy) Schekman*. Hoc annuntiatum est a commissione Nobelianâ Holmiensi.

Holmiâ ex urbe – Praemium medicinae Nobelianum hōc anno attribuitur *Iacobo Rothman* et *Randulfo Schekman* et *Thomae Südhof*, qui natus est in Germaniâ. Iidem hoc honestamentum accipiunt, quia nonnullas res invenerunt, quae spectant ad processûs transportandi cellulares. Hōc die Lunae Holmiâ in urbe annuntiatum est ab Instituto Carolino. In tempore *Göran Hansson*, secretarius commissionis Nobelianae physiologiae vel medicinae, ad diurnarios prodierat, ut annuntiaret investigatores hōc anno praemiatos. Hoc praemium medicorum summum omnium complectitur octo miliones coronarum Sueticarum, i.e. nongenta viginti milia euronum.

Commissio explicavit praemium iis investigatoribus attribui, quod prosperrimê inter se cooperati essent: Tres praemiatos unâ invenisse principia molecularia, quibus substantiae in aliquâ cellulâ apto tempore ad aptum locum transportarentur.

Incredibile esse, quam subtiliter illi invenissent systema, quo cellulae certas moleculas vesiculis involutas mitterent ad certum locum corporis. Commissio Nobeliana: "*Sine hac organisatione mirabiliter subtili*" inquit "*cellula funditus disturbata interiret*".

Iacobus Rothman perquisivit, quomodo proteina operarentur, quae vesiculis permitterent cum scopis suis liquescendo coniungi, ut redderent caricaciones suas electricas. *Randulfus Schekman* gregem quendam genorum invênit, qui necessaria sunt ad moleculas vesiculis transportandas. *Thomas Südhof* autem invênit, quomodo vesiculae certis signalibus dirigerentur.

Aenigma transportus cellularis esse solutum

Rebus, quas hi tres investigatores invenissent, imprimis intellegi posse mechanismos, quibus orerentur morbi neurologici et diabetes et morbi immunitatis. *Jan-Inge Henter* arbiter Nobelianus: „*Velut tetanus*“ inquit „*est morbus, qui habet vim ad hunc transportum vesicularem.*“ Eius collega *Göran Hansson* verba illius supplens: „*Hac inventione*“ inquit „*usque nunc nondum effecta sunt nova medicamenta, sed diagnoses.*“

Thomas Südhof, qui nunc honestatur, a.1955 Gottingae natus est. Îdem ad doctoris gradum promotus est a.1982 in Instituto Chemiae Biophysicae Planckiano. A.1983 Thomas Südhof iit in Civitates Unitas et coepit operari in Centro Medico departimenti genetices molecularis Universitatis Dallasiensis (*UT Southwestern*) – *Michaele Stuartio Brown* et *Iosepho L. Goldstein* moderantibus, qui postea praemio Nobeliano honestati sunt.

Ex illo tempore Thomas investigat basin molecularem signalia in systemate nervoso transmittendi, praesertim perquirat mechanismum, quo in synapsidibus excernantur substantiae nervorum transmissoriae. Thomae id contigit, ut nonnulla proteina, quae huius actionis sunt participia, cognosceret et clonizaret.

Anno proximo praeterito honestati sunt *Iohannes (John) Gurdon* Britannus et *Shin'ya Yamanaka* Iapon, qui curavissent cellulas corporis maturas in cellulas primordiales reprogrammandas. A.2008 *Harald zur Hausen* ultimus fuit Germanus praemio medicinae Nobeliano honestatus. Qui praemiatus est propter vira papillomatum inventa, quibus efficiuntur carcinomata cervicalia. Idem Haraldus praemium communicavit cum *Francisca (Françoise) Barré-Sinoussi* et *Luca (Luc) Montagnier* propter virus inventum, quo efficitur morbus sida (*AIDS*).

Diebus Martis Mercuriique annuntiabuntur investigatores praemii physices chemiaeque Nobelianis honestati. More tradito fiet praemiorum oblatio d.10 m.Dec., i.e. die, quo obiit Alfredus Nobel praemii Nobeliani fundator.

Hanc relationem d.07.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Auszeichnung 2013: Ein Deutscher und zwei Amerikaner gewinnen Nobelpreis für Medizin*».

Praemium Nobelianum Thomae Südhof oblatum: "Scientista optimus omnium, quos novi"


Is dicitur esse subtilis et excellens et amicus thoracum laneorum, quos gestat more remisso: Thomas Südhof Germanus biologus cellularis autocinetum gubernans accepit se praemio medicinae Nobeliano esse honestatum – tum non potuit, quin autocinetum gubernaret ad viae marginem dextram.

Is vir tam peritus est, ut non multum abest, quin a collegis formidetur. *Robertus Malenka*, professor psychiatriae et ethologiae in universitate Stanfordianae docens: "Nescio" inquit „*quomodo ille hoc faciat*". Se nosse Thomam inde ex annis nonagenariis prioribus. Malenka: „*Is vir*" inquit "*ingenio est potestati naturali quadamtenus simili. Is est scientista omnium fecundissimus, quos umquam vidi*". Incredibile esse, quantum Thomas attulerit ad scientias neurales augendas. "*Sine eo viro post decem demum annos assecuti essemus statum scientiarum, quem nunc habemus.*"

Alii collegae simili cum animorum inflammatione loquuntur de *Thoma Südhof* Germano nunc praemio Nobeliano honestato, excellentis Universitatis US-Americanae Stanfordianae professore, qui a.1955 natus est Gottingâ in urbe ibique studuit disciplinis pernoscendis. Collegae Americani rogati, ut dicant quid sentiant de Thomâ Germano, commemorant tales notiones quales sunt „*integritas*" et „*intensitas*" et „*intuitio*" et „*vis intellegendi*". Iam ante Nobelianum Thomas acceperat praemia honestamentaque multa : a.2010 *Thomas Südhof* biologus cellularis, investigator genorum, physiologus, encephalologus accepit *Praemium Kavlianum* Norvegicum.

Antequam *Thomas Südhof* a.1983 sedem mutavit ad Universitatem Texanam, a.2008 ad Stanfordianam, moderatus est Instituto Maximiliani Planck medicinae experimentalis Gottingensi. *Ervinus (Erwin) Neher*, qui praeest Instituto Maximiliani Planck chemiae biophysicae, illo tempore Thomae propinquus, qui a.1991 ipse acceperat praemium medicinae Nobelianum, dicit haec : "*Thomas est reverâ unus investigator ex suae provinciae optimis*".


Cum Thomae ingenium a collegis laudetur tam eximiê et abundanter, ut humanum limitem videatur excedere, eius moribus modisque vivendi inest aurea mediocritas. Discipulus cum esset, Thomas omnes disciplinas diligebat – exceptâ re athleticâ. Hodie autem dicitur calidisque quoque diebus per laboratoria investigandi ambulare remisso thorace laneo indutus. In rebus scientificis Thomam esse semper quam subtilissimum, in vestimentis gerendis valdê negligentem.



"Serione hoc dicis?" Thomas Südhof quaesivit ex viro, qui secum die Lunae ante meridiem telephonavit a Commissione Nobelianâ mandatus. "Oh mi Deus!"

"Cogitavi me a viâ aberrasse"

"Serione hoc dicis?" Thomas Südhof quaesivit ex viro, qui secum die Lunae ante meridiem telephonavit a Commissione Nobelianâ mandatus. "Oh mi Deus!" Multos multa divinasse de praemiandis, sed se ipsum numquam pro certo habuisse se accepturum esse praemium Nobelianum.



Apparatus cellularis: In cellulis humanis molculae transportantur vesiculis. His involucris hormonta, proteina, substantiae nervorum transmissoriae transportantur etiam per membranas cellulae nucleique cellularis. Multae molculae maiores sunt, quam ut solae per membranas perveniant.

Thomas Südhof, media in Hispania autocinetum gubernabat conventum scientificum in urbe *Baeza* petens, non potuit quin primo sisteret. "Cogitavi amicum meum mecum telephonare. Nam aliquantum a via aberravi. Doleo, hanc rem aliquatenus non exspectavi."


Hoc praemium esse sibi momenti maximi, sed eodem non solum laudari opus suum proprium. "Eodem" inquit "honestantur etiam labores multorum hominum, qui mecum sunt cooperati".

Reinhard(us) Jahn, ex longo tempore amicus Thomae et director Instituti Maximiliani Planckii chemiae biophysicae, non verê miratus est de honestamento Thomae attributo: "Non exspectaveram" inquit „eum accepturum esse iam nunc“. Sed *Thomam Südhof* ceterosque viros

praemiatos, *Iacobum Rothman* et *Randulfum Schekman*, praemium Nobelianum procul dubio meritos esse.

In circulis rei peritorum iam diutius exspectatum erat *Thomam Südhof* accepturum esse praemium scientiarum omnium gravissimum. Eum primum cognovisse, quae methodi essent necessariae ad synapses intelligendas. In laboratorio suo in Universitate Californiae Stanfordianâ excellenti is vir e Saxoniâ inferiore oriundus investigat cum cetera tum causas moleculares morborum, quales sunt *autismus* et *morbus Alzheimerianus*.


ê



Ecce systema transportandi constipatum: *Randulfus Schekman* cellulis *Saccharomycetis* geneticè mutatis investigavit, quibus genis praedisponerentur proteina, quae gubernant transportum vesicularem. Si *Saccharomycetes* geneticè erant mutati, cellula vesiculis conglobatis est obstipata.




Ecce fundamentorum geneticorum investigator: *Randulfus (Randy) Schekman* 23 (viginti tria) gena cognovit, quae vim habent ad tres mechanimos transportandi varios. Qui biochemista professor docet in Universitate Californiae Berkeleyensi.




Confusio: Si vesiculae moleculas proteinorum e cellulâ efferunt, se coniungunt cum eius involucro. In hac re adjuvant proteina superficiei vesicularum insita, quae adhaerentur ad membranae cellularis proteina specialia – sic fieri potest, ut moleculae ad aptum locum cellulae appellantur.



Ecce investigator fusionis: *Jacobo Rothman* contigit, ut hunc mechanismum primus explicaret totum. Is quoque est biochemista. Hodie îdem professor docet in Universitate Yale.



Nervi stimulos transportantes: Etiam in synapsidibus, i.e. in nervorum coniunctionibus cerebralibus, nervalibus stimuli transportantur substantiis transmissoriis...



...et tales substantiae nuntiae transportantur in vesiculis. *Thomas Südhof* investigavit, quomodo hic mechanismus gubernaretur iontibus calcii.

Hanc relationem d.07.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Nobelpreis für Thomas Südhof: »Der beste Wissenschaftler, den ich kenne«.*

DE RAPTORE HOTZENPLOTZI

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur

LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**

De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfriedi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvere...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatorem” Bernhardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:
www.leolatinus.com



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)
Stuttgart/Wien, www.thienemann.de

Editio Latina:
Copyright © 2013 by LEO LATINUS
spqr@leolatinus.com
ISBN 978-3-938905-33-3



Recitator

Fabula romanica

quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completæ adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

**HANC EPISTULAM LEONINAM
SEXAGESIMAM**

EL 60

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

d. Lunae, 14.m. Oct. a.2013

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>